Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2177
Quelle:
Copyright:

quamdiu tenuit; denique *Silesiae* Aquila nigra, pectore lunula et cruce argentea in campo aureo.

DCCCCVII.

E. 82 Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 234. 4. luculente exaratus, marginibus exterioribus splendide deauratis et picturatis, Iconibus insuper XXXVI. Mysteria Religionis et Acta Sanctorum repraesentantibus exornatus ad pium usum Ordinis S. *Johannis Hierosol.* paratus est, et, ut videtur, *Emerico de Ambosia*, qui ab a. 1503. ad a. 1512. magnum Magistratum eximie gessit, inserviit; prima enim Icon Insignia *Ambosiana* Cruci Ordinis conjuncta et a duobus Angelis sustentata exhibet. Insunt porro post *Calendarium* initia IV. Evangeliorum, Passio secundum *Johannem*, Psalmi graduales, Horae B. M. V. *secundum usum hospitalis sancti iohannis iherusalem*, quod et alibi additur, Horae de Cruce, de S. Spiritu, de Conceptione et quidem immaculata; in oratione enim dicitur: *ipsam sine macula concipiendam;* VII. Psalmi Poenitentiales cum Litaniis, in quibus: *Ut magistrum nostrum religionemque nostram regere custodire ac deffensare digneris.* Officium pro Defunctis. Preces ad Deum, variosque Coelites, in quibus S. *Fiacrius*, cujus effigies dextra librum, laeva palam tenet; demum diversae per annum Missae.

DCCCCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 169. 4to. probe scriptus, literis initialibus, tum marginibus foliorum auro fulgido, variaque pictura speciosis, et insuper XI. Iconibus Vitæ Christi mysteria referentibus, magis tamen a colorum vivacitate, quam ab arte commendandis decoratus, olimque Parthenonis *Halensis* in *Tyroli*, *Horarium* est Initia Evangeliorum, Officium de B. V. *Maria*, de cruce Domini, de S. Spiritu, Psalmos dictos *Poenitentiales* cum SS. Litaniis, Exequias Defunctorum, XV. *Mariae* Gaudia, et Orationes quasdam complexum, quas ejusmodi Rubrica praeit: *Quiconques vuelt estre bien conseillies de la chose dont il a besoing si die chascun iour les oroisons que vous trouuerres si apres escriptes* &c. Ita omnia gallice inscripta sunt, cumque tam in praevio *Calendario* 30. Maji *Translation. S. ferreu. et S. fergeuil*, dein 16. Jun. *S. ferreu. et S. fergueil* auro scripti occurrant, quam in Litaniis iidem Martyres *Ferreolus* et *Ferrucius* invocentur, *Horarium* istud ad Dioecesin *Vesontinam* refero; *Vesontione* enim horum Christi Testium Λειψανα quiescunt. Qua ratione deinceps ad quendam *Germaniae* Episcopum aut Vassalum Imperii devenerit, dicere non habeo: praefixa enim est manu eleganti Sec. XV. inclinantis Formula quaedam generalis Homagii feudalis, cujus ini- C. 945